This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HDI
HW 502C 6

Digitized by Google

The Joe and Emily Lowe Foundation
Book Fund for Judaica
in the
Harvard College Library

For the acquisition, cataloguing and preservation of ephemeral Judaica

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII PAVLI LVDOVICI CARSTENS
VERBI DIVINI MINISTRI MONASTERIENSIS

DE

MONVMENTORVM IVDAICORVM

EX SCRIPTORIBVS EXTERIS ANTIQVIS, CVM GRAECIS TVM LATINIS COLLECTIONE,

COMMENTATIO,

AD FRATREM
HENRICVM IOHANNEM
NOVAE ECCLESIAE SVBVRBANAE
HANNOVERANAE
A SACRIS PVBLICIS.

HANNOVERAE
SVMPTIBVS B. FOERSTERI HAERED.
MDCCXLVII.

Digitized by Google

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Lowe
1894

Digitized by Google

FRATRI OPTIMO

HENRICO IOHANNI

A. P. L. CARSTENS

S. D. P.

Publicas vt ad te dem litteras, quocum tot priuatis commercium summa cum voluptate ad hunc vsque diem habui litterarium, quae publice & in omnium conſpectu tibi euenerunt fauſti ominis res efficiunt. Quae quidem mortalium neminem maiori afficere poſſunt gaudio, quam fratrem, cum quo a primis vnguicu-

 lis

lis coniunctissima vixisti societate. Optatissimus sane ad me nuntius perlatus eſt de oblato tibi diuinitus munere sacro, eoque multis numeris laetabili. Electus enim es ad diem VII. Septembris superioris a viris grauissimis, ciuitatis Hannoueranae consulibus, patribusque conscriptis, vnanimi consensu, qui nouae eccleſiae suburbanae Hannoueranae a sacris esses publicis. Primus itaque ornatus es munere sacro, cuius prima, per ILLVSTRIS TAPPII, senatus sacri regii in patria praesidis, viri per aetatem, per munus, per merita quam maxime venerabilis, munificentiam fundamenta iacta sunt. Sunt postea, opinione celerius, fautorum, quos tibi Deus larga concessit manu, noui tui muneris, nouique tuae curae mandati coetus sacri res adeo feliciter expeditae, vt habeant, qui tecum coniuncti sunt, quod tibi maiorem in modum gratulentur. Haut vltimum inter hos locum meo mihi iure vindico. Quod vt eo testatius fieret, animum ad scribendum adpuli, fraternique mei amoris & gaudii volui extare monumentum publicum.

Tritum illud NASONIS: Fratrum quoque gratia rara est, *cum veritate consentire, aliorum exemplis abunde edocti sumus. Placuit olim nostrum vtrique mirifice locus insignis, quem in legendo* PLVTARCHI de Fraterno amore *libro obseruauimus.* Ego, *inquit* PLVTARCHVS *T. II. Operum, edit.*

Weche-

Mechelinae 1599. p. 478. noſtra actate non minus raram fratrum amicitiam video esse, quam fuerunt quondam odia fratrum: quorum exempla ob absurditatem tragoediis ac theatris sunt publicata. Omnes adeo homines hodie, si in fratres incidant probos, haut aliter eos admirantur, atque Molionides illos, quorum corpora in vnum coaluisse exiſtimatum fuit: vsumque communem opum, amicorum (*addimus & bibliothecarum*) non minus incredibilem & monstrosum putant, quam si vna anima duorum corporum manus, pedes oculosque regeret. *Nos, diuini vatis Ps. CXXXIII. 1. memores, nostro exemplo probare studuimus*, quam bonum, quam iucundum sit, fratres coniunctim habitare. *Quod eo felicius nobis successit, dum eadem fere aetas, eadem studia, idem quoque per plurimos vitae nostrae annos locus nos arctissime coniunxit. Tu mihi maximis fuisti in deliciis; ego tibi. Aegerrime itaque diuulsi sumus, quum ante biennium diuino mandato museolum mihi in locum, longiori interuallo a tuo remotum, transferendum esset.*

Gratissima sane semper mihi erit tot horarum recordatio, in quibus Hannouerae qualiacunque nostra studia coniunctis viribus coluimus. Quarum fructum adhuc quotidie sentio. Neque tamen per modestiam plura nostrarum rerum familiarium hic publicae luci

 expo-

exponere licet, quam quae per scriptiunculae huius explicandam rationem excusari possunt.

Mirifico nos studiorum amore ab ineunte aetate flagrauimus. Cuius primam originem & progressum venerando seni, patri optimo, per singularem Dei beneuolentiam adhuc superstiti, quin sacrorum publicorum, ne a filiis quidem petito auxilio, administrationi ad hunc usque diem pari, soli debemus. Quod olim iam, pietate sic iubente, in tuae Commentationis de veritate religionis Christianae, confirmata per confessorum multitudinem, Lemgouiae 1744. editae, praefamine, a me monitum esse memini. Orta hinc sunt varia consilia, a nobis, in scientias inquirentibus, libros versantibus, nullam diem sine linea transigentibus, inita. Fuerunt tibi tua, mihi mea: vtriusque tamen semper communia.

Mihi in primis litterae, quas vocant, humaniores semper curae cordique fuere. Excitatus enim clarissimi AVGVSTINI GABRIELIS GEHLII, gymnasii Stadensis iam rectoris optimi, monitis, & familiari, qua iuuenem me & discipulum Cellis dignatus est, societate, legendorum scriptorum cum Graecorum tum Latinorum antiquorum, usque fui studiosissimus. Ortum hinc consilium, his plagulis paullo vberius a me expositum. Feruit opus, quum Hannouerae librorum commeatus undique suppeteret.

Vi-

Vidisti saepissime, OPTIME FRATER, *me in museolo scriptoribus antiquis fere sepultum, eosque secundum leges, in ipsa commentatione explicatas, perlegentem. Neque negare possum, fuisse mihi hunc laborem, quin adhuc esse proprio quodam & singulari modo in deliciis. Quare ulterius in perficiendo hoc consilio iam progressus sum, quam in reliquis, olim quoque initis. Quae tibi enumerare, superuacaneum; publicae luci exponere, immodestiae est.*

Visum itaque mihi est, fraterni nostri amoris qualecunque curaturo monumentum, monumentorum a me collectorum Iudaicorum rationem habere. Neque tamen immaturum hunc foetum ipsum in lucem protundo. Iuuenilis enim ardor iam extinctus est. Sed consilii tantum a me initi caussas, leges, utilitatem & difficultates, quantum fieri potuit breuissimo, & festinantiori per aliquot dies expositas calamo, cum orbe erudito communico. Tu facile perspicies, sentiendi libertatem, cum modestia coniunctam, quorum utrumque in scribendo nobis semper mirifice placuit, & in his plagulis a me non neglectam esse.

Plura quo minus tecum, OPTIME FRATER, *colloquar & temporis & chartae prohibet angustia. Votorum enim, quibus nouum tuum munus, perpetuamque felicitatem tuam prosequor, summam hic explicare, prorsus mihi superfluum esse videtur.*

Idem

Idem confido, fore vt Deus, cuius nutum plurimis iisque praesentissimis exemplis animaduertisti, difficultates, quibus, quod in nouis rebus accidere solet, nouum tuum munus adhuc vrgetur, felicissime expediat. Vnum tamen est, de quo frater tibi potissimum gratulatur publice: scilicet de tradita tibi muneris sacri functione in loco, studiorum progressibus quam maxime fauenti. Frueris itaque in horis, a munere sacro vacantibus, tuis deliciis: neque vilioris generis negotia te retardabunt. Mihi longe alia sors obtigit, quem, ruri degentem, domesticae, quin &, si vero nomine vti licet, rusticae curae in studiorum cursu mirum in modum impediunt. Vale, OPTIME FRATER, *resque tuas age feliciter. E museo, Monasterii, in prouincia Cellensi. a. d. X. Octobris* CIↃ IↃCCXLVII.

DE

DE

MONVMENTORVM IVDAICORVM
EX SCRIPTORIBVS EXTERIS ANTIQVIS, CVM GRAECIS, TVM LATINIS, COLLECTIONE
COMMENTATIO.

§. I.

Erunt, quamdiu respublica florebit litteraria, quibusuis eius ciuibus nostrae aetatis Iudaeorum maiores haud mediocri in pretio: neque cessabunt, qui eruditionis & scientiarum primordia & arcana rimantur, in horum mores, dogmata, antiquitates, historiam inquirere. Primum enim locum in quauis bibliotheca, classicis, hoc est primae notae, & praestantissimis, qui fontium instar sunt, libris instructa, suo iure meretur Hebraeorum sacer codex. Cuius

maxima parte antiquiorem nusquam terrarum inuestigabis librum. Ab hoc itaque euoluendo incipiat oportet, qui ex primis fontibus, quae vetustissimis temporibus inter homines gesta & cognita fuere, haurire vult. Quare, licet & Hebraicorum librorum sacrorum diuinae originis & auctoritatis nondum ratio habeatur, tamen hi reliquis omnibus scriptis quam maxime anteferendi sunt, in quorum argumentum cuiuis litterarum amico sollicite inquirendum est. Longe tamen maioris momenti sacer Hebraeorum codex nobis, qui Christi nomen profitemur, videatur necesse est. Ab ipso enim Seruatore edocti, fatemur: Ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. (1) Neque igitur vitae beatissimae, quam sub Christi ducis vexillo & in hac & in altera vita optamus, spes firma nobis antea esse potest, quam theocratiae eius, quae olim inter Iudaeos floruit, sufficienti imbuti sumus, eaque certissima, cognitione. Viri itaque inter Christianos vere docti, quos singulos, & quod ad eruditionem pertinet, quodam modo *theologos* esse decet, nullius populi antiqui plus rationem habent, quam Iudaici. Multis sane numeris laude dignissimam sibi eligit materiam, qui, antiquissima scrutaturus, *Hebraeorum*, vel si recentiori nomine vti licet, *Iudaeorum* chronologiam, geographiam, religionem, leges, (2) fata explicanda sibi

(1) Ioh. IV, 22.

(2) Primae Hebraei populi leges, quas Pentateuchus complectitur, iam eo nomine prorsus singularem merentur attentionem, quia omnium, quarum certa et sufficiens ad nos peruenit notitia, sunt vetustissimae. Quid dicemus, qui de diuina earum origine satis sumus persuasi? Annon Christianorum eruditorum, priscas hominum leges inuestigantium, erit, peculiarem legibus diuinis, per Mosen traditis, nauare operam? Vide, quae iam olim monui in *Bibliothecae Hamburgensis mixtae* T. 1, p. 502. Mihi eorum industria vehementer probatur, qui, nimio allegoriarum studio neglecto, in legum Mosaicarum

sibi proponit. Neque vnquam scribendi de Iudaeis rebusque Iudaicis inter Christianos erit finis.

§. II.

Quod generatim de rebus, ad Iudaeos pertinenti-

carum rationes, vel physicas, vel morales, vel politicas adcuratius inquirunt, quam vulgo fieri solet. Cuius instituti exempla recentissima peti possunt ex SALOMON. BERNHARD. WOLFFSHEIMERI, medici Iudaei, Dissertatione inaugurali, *de caussis foecunditatis Ebraeorum, nonnullis sacri codicis praeceptis innitentibus.* Halae 1742. et IOH. DAVID. MICHAELIS commentatione *de mente et ratione legis Mosaicae, vsuram prohibentis. Erfurt.* hoc ipso anno edita. Placuit nobis in primis haec doctissimi MICHAELIS, quem, celeberrimi patris filium, Goettingensium doctorum numero nuper adscriptum esse laetati sumus, commentatio. Haurit enim ex Mose potissimum ipso, non ex Talmudicis, quod plerumque in more est, pandectis. Gauisi itaque sumus de promissis ab ipso l. c. §. 3. et aliis Israelitarum legibus simili ratione olim explicandis. Quin plura addimus. Absolutum *iuris cum canonici tum ciuilis Israelitici, ex ipso Mose collecti, in ordinem redacti, et quantum fieri potest, illustrati, corpus* adhuc nobis inter eruditos deesse videtur. De quo licet iam olim meditati simus, tamen optamus, virum nobis longe doctiorem, et librorum copia instructiorem, manum operi admouere. Ipsum itaque virum doctum, quem iam nominauimus, maiorem in modum publice rogamus, vt paullo sollicitius hoc consilium ponderet. Neque silentio hic praeterire possum librum adhuc minus inter nos cognitum, MOSIS LOWMANNI, Angli, cuius titulus: *A Dissertation on the ciuil Government of the Hebrews*, cuius altera editio *Londini* 1745. in 8. maiori extat. Nactus sum tandem, quem dudum frustra quaesiueram, hunc librum, et iam aliquoties mihi in mentem venit, interpretationem eius Germanicam suscipere. Res enim ipsae, a LOWMANNO explicatae, dignae sunt, quae a quovis ponderentur. Ius Hebraeorum publicum diligentissime ab ipso expositum est. Neque vitio verti libro potest, quod in primis contra famosissimum illum Hebraeorum conuitiatorem, THOMAM MORGANVM, anno 1743. exstinctum, conscriptus est. Reipublicae enim Iudaicae formam adcurate exhibet LOWMANNVS, neque nimium MORGANI nugis inhaeret. At minus mihi placuit ordo, a LOWMANNO fere neglectus, et ortae inde creberrimae eiusdem rei repetitiones. Praeterea suspicor fere, celeberrimum S. I. BAVMGARTENIVM, qui LOWMANNI saepius in annotationibus *Historiae mundi vniuersalis*, operis mea laude longe maioris, meminit, et huius libri Anglici interpretationem Germanicam curaturum esse. Compluribus enim in libris, ad res in *Historia vniuersali* traditas facientibus, idem iam euenisse vidimus.

bus, affirmauimus, id singulari quadam ratione de exterorum antiquorum testimoniis, in quibus rerum Iudaicarum mentio fit, valet. Semper ea maximi momenti mihi visa sunt, quaeque ab homine Christiano, in scriptoribus & Graecis & Latinis, idolorum cultoribus, legendis, in primis notari mereantur. Quem quidem morem iam ab ineunte aetate sequutus sum. Postea, dum vitae meae conditio necessitatem mihi imponeret, in vrbe patriae primaria, *Hannouerae* per complures annos degendi, antequam munus mihi demandaretur publicum, consilium a me initum est, cuius me nunquam poenitebit. Erat mihi propoſitum, singulos scriptores & Graecos & Latinos antiquos, quorum nondum mihi copia ante fuerat, perlustrare, mihique inter legendum optima quaeuis vel asterisco notare, vel excerpere. Quod quidem institutum mirifice successit, quum fautorum aliquot insignium bibliothecis instructissimis vti mihi concessum esset. (3) Euolui ita-

(3) Quum grati animi officium sit, praedicare, per quos profeceris, temperare mihi non possum, quin aliquot virorum, in republica litteraria notissimorum, nomina addam, quorum beneuolentiam expertus sum prorsus singularem. Primum sane locum occupat illustris PAVL. GOTTL. WERLHOFIVS, archiater regius Hannoueranus, cuius cum in me, tum in fratrem, qui eius hospitio per complures annos vsus est, innumera sunt beneficia. Quae quo minus in publicam lucem exponam, notissima mihi summi viri modestia prorsus vetat. Vnum hoc sileri nequit. Quod si nostris temporibus *de Medicis philologis* quis denuo scribere vellet, quod a GEORGIO FRANCO in Epistola ad *Gothofr. Thomasium* Wittenb. 1691. factum est, inter *Medicos philologos* nostri aeui primates WERLHOFIVS esset ponendus. Huius medici philologi bibliotheca mihi semper patuit. Altero loco mihi nominandus celeberrimus IOH. LVD. BVNEMANNVS, scholae Hannoueranae Director, ob insignem rariorum librorum notitiam in tota republica litteraria notissimus. Cuius viri bibliotheca quot scateat albo coruo rarioribus libris, oculatus per multas saepe horas continuas testis praedicare possum. Est tamen, quod in hoc viro rarissimum mihi semper visum est,

itaque diurna nocturnaque manu cum Helladis; tum Latii antiqui arcana litteraria. Semper tamen & oculus & mens iis in primis inhaerebat locis, in quibus electi ab ipso Deo populi, ex quo Christus noster redemtor homo ortus est, expressa occurrebant vestigia. Hos ex quouis auctore antiquo inter legendum in schedulis notaui, & quae in iis explicandis a viris in philologia doctis monita inueni, postea in meos vsus conuerti.

§. III.

Cui quidem instituto per complures annos mihi inhaerenti, accidit id, quod PLVTARCHVS (4) ex HESIODO:

Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο, i. e.
Nam si vel paruum pergas superaddere paruo,
Et crebro id facias, ingens existet aceruus.

Iam multum in hoc stadio progressus, incidi in CHRISTIANI WORMII *de corruptis antiquitatum Hebraearum apud Tacitum & Martialem vestigiis, libros duo*, (5) quem olim idem fere consilium iniisse vidi. Placet

est, summa eius humanitas, ab omni inuidia et fastu remotissima. Patet eius bibliotheca quibusuis litterarum amatoribus. Quod sane ego summa saepe cum admiratione expertus sum. Neque mihi sileri potest illustris IOH. MATTH. GESNERVS, ornamentum illud Academiae patriae, qui summa mihi cum facilitate complures, quorum mihi Hannouerae copia fieri nequibat, libros peruestigandos misit. *Bibliotheca* praeterea *regia Hannouerana*, libris quoque ad philologiam pertinentibus ornatissima, sitim meam saepissime restinguere potuit, annuente illustri IOH. DAN. GRVBERO, qui regio huic thesauro litterario maxima cum cura praesidet.

(4) De *Liberis educandis*, Operum editionis Wechelianae 1599. in Fol. T. II. p. 9.

(5) Editi sunt hi libri *Hafniae* in 4., prior liber 1693. posterior 1694. Recusi sunt ambo in BLASII VGOLINI *Thesauro antiquitatum sacrarum, Venetiis*

Placet ex libro non cuiuis obuio ipsius WORMII verbis id exponere: *Animus quidem*, inquit (6), *erat, vniuersa, quae apud scriptores tam Graecos quam Latinos loca obseruauimus, recensere, explicare, restituere, & in errorum caussas, quoties opus foret, inquirere. Sed absterruit fere nos a proposito rei difficultas & prolixitas, quum vltra sexcenta loca illustrata emendataque in schedis hac illac dispersis habeamus, licet minimam scriptorum partem hactenus percucurrerimus.* Pergit statim, & quo ordine operi manus iniicere conaturus sit, sic exponit: *Verum ne labasceret penitus hoc propositum, hasce commentationes loco speciminis alicuius publico exponere constituimus; eundem sequuturi ordinem, quem olim prae aliis elegeramus. Primo enim in Taciti & Martialis sententiam de origine Iudaeorum & nomine inquiremus. Dein ordine secundum decalogum processuri, videbimus, quid contra I. II. III. &c. &c. praecepta dictum sit; mox quae contra sacramenta eorum; & vltimo, quae contra promiscua instituta, examinabimus.*

§. IV.

Libere pronuntiabimus, quae nobis de WORMII laboribus videantur. Si ex specimine edito de reliquis promissis augurari licet, haud multum detrimenti cepit respublica litteraria, his priuata. Nimium coniecturis in-

netiis in Fol. 1744. in cuius volumine II. primum locum occupant. Nil continent hi WORMII libri praeter fusum commentarium in quinque illas de Iudaeorum origine sententias, quarum mentionem facit TACITVS, *Histor.* V. c. 2. Diffundit autem se vbique WORMIVS et ad alia omnia abit. Mirus quoque est artifex in explicandis ex historia sacra fabulis antiquis. Promittit et Libr. II. p. 34. *Vitam Mosis ab Ethnicis descriptam*, et p. 167. *Athenas Phoenicissantes.* Quae quidem num lucem adspexerint, mihi non constat.

(6) Libr. I. Cap. I. p. 3.

Digitized by Google

indulsit WORMIVS, vir foecundioris ingenii, & saepius eius vitii se reum fecit, quod ipse acriter strinxit. *Obstupuimus*, inquit (7), *saepius, quoties doctissimorum virorum inscitas opiniones circa huiusmodi loca animaduertimus, quum tantum saepius monstri aluerint, vt textum auctorum obscuriorem quidem reddiderint, & nihilo clariorem.* Praeterea quot volumina conscribenda forent, si tam fusis commentariis singula exterorum de Iudaeis testimonia explicarentur, vel potius *obscuriora redderentur.* Neque tamen per ordinem, a WORMIO electum, liceret plura de Iudaeis ex scriptoribus exteris exponere, quam ea, quae *contra* Iudaeos dicta sunt. Restaret itaque ingens adhuc pars. Quot enim locis vel geographica vel historica, & veritati quidem consentanea narrantur? Quin & quoties gentiles sunt Iudaeorum laudatores? (8)

§. V.

(7) L. I. p. 3.

(8) Gentium in Iudaeos calumniae a quam plurimis scriptoribus et Iudaeis et Christianis, quorum hic catalogum recensere nimis longum foret, refutatae sunt. Vnum, eumque recentissimum nominatim allegabimus. Editus est IOH. IAC. HVLDRICI *Gentilis obtrectator, siue de calumniis gentilium in Iudaeos, commentatio. Tiguri* 1744. Errat autem vehementer, qui, quod in huius libri rubro promissum est, in nigro sic, vt nihil deficiat, praestitum esse suspicatur. Quinque tantum totidem capitibus conuitia exhibentur, nempe *de porcino Iudaeorum numine, de Iudaeis ob lepram ex Aegypto pulsis, de coelo et nubibus, de asino*, et *de Baccho, a Iudaeis cultis.* Quantum hic calumniarum adhuc restat? Quid? si quis et laudes, quibus Iudaeos decorarunt gentium scriptores, paullo adcuratius exponeret? In Christianis id felici successu tentauit vir industrius GOTTL. FRIDER. GVDIVS, cuius *Paganus Christianorum laudator et fautor, Lips.* 1741. in 4. editus est. Neque in Iudaeis deerit materia, idem argumentum pertractandi. Non enim solum de balsamo, palmis, bitumine, aquis, lapidibus Iudaicis multa passim extant in Iudaeae laudem dicta; sed et ipsorum Iudaeorum cultum diuinum et mores iustis encomiis DIODORVS SICVLVS, STRABO, DIO CASSIVS, TACITVS, alii, vel inuiti ornarunt. Luculentissimum tamen omnium exemplum ex HECATAEI ABDERITAE *Eclogis*, a PETRO ZORNIO, cum perpetuo commentario editis, *Alton.* 1730. in 8. peti potest.

Digitized by Google

§. V.

Maioris momenti mihi videtur IOH. IAC. SCHVDT *Compendium hiſtoriae Iudaicae de origine, incrementis & rebus gestis Iudaeorum, ad ductum Iustini Histor. Libr. XXXVI. potissimum ex gentilium scriptoribus collectum.* (9) Sunt in eo diligentissime plurima exterorum de Iudaeis rebusque Iudaicis testimonia collecta, & sub certa capita, vel, si ita nominare licet, *locos communes* digesta. Nequaquam negamus, qui qualicunque tantum Iudaicarum rerum, exteris cognitarum, notitia imbui vult, habere in hoc compendio, quod placere & prodesse possit. At qui adcuratius singula examinat, neque in sola superficie haeret: allegata non solum legere, sed & intelligere vult. Frustra autem hic SCHVDTIVM consules, cui, omissis plerumque omnibus curis criticis, sufficit allegare. Praeterea neque ab hoc diligentissimo collectore omnia, quae exteri de Iudaeis testantur notatu digna, exhibita sunt.

§. VI.

Sunt inter Christianorum scriptores, qui Iudaeorum historiam ex genuinis fontibus, Hebraeorum scilicet scriptoribus domesticis, composuerunt, quam plurimi, qui celeberrimi Iudaei FLAVII IOSEPHI exemplum sequuti, ad exterorum quoque testimonia subinde prouocarunt. (10) Quin qui Christianae religionis veritatem

(9) Editum est *Francof. ad Moen.* 1700. in 8.

(10) Longum eorum catalogum in compendio vide in IOH. FRANC. BVDDEI, *Isagoge* L. II. c. VI. Addendum hic in primis stupendum illud *Historiae mundi vniuersalis* opus, cuius tomi quatuor priores immortalis S. I. BAVMGARTENII opera inter Germanos iam diuulgati sunt. Habet, quod

Digitized by Google

tatem & diuinam originem contra eruditorum vel scepticorum vel empaectarum obiectiones defendere conantur, sacram inter & exterorum historiam parallelismum nequaquam negligere debent. Fuerunt itaque, qui dedita id opera peculiaribus libris tentarunt. Natum inde, si inter eruditos notissima proferre licet, celeberrimum illud H. PRIDAVII (11) opus, a SAM. SHVCKFORDO demum perfectum, in quo res, in libris ante Christum natum sacris enarratae, exterorum testimoniis copiose confirmantur. Iungendus his duumuiris Anglis & tertius NATHAN. LARDNERVS (12), qui idem in rebus post Christum natum gestis ingressus est stadium.

quod sibi respublica gratuletur litteraria de hoc opere, quod, in Anglia inceptum, per BAVMGARTENIVM, nostri aeui ornamentum, demum perficitur. Neque enim sufficit huic viro, ad miraculum vsque laboriosissimo, per creberrimas notas vel supplere, quae omissa, vel corrigere, quae minus adcurate ab auctoribus doctissimis Britannis scripta sunt; sed et *Supplementa,* quorum ingens erit vtilitas, huic operi adiungenda, iam sub manibus habet. Iudaeorum historia in hoc opere non ex sacrae tantum scripturae litteris diligentissime exposita, sed et reliqua omnia historiarum monumenta, quae aetatem tulere, consulta sunt. Neque LVDOV. HOLBERGII *Historia Iudaeorum a mundi initio ad nostra vsque tempora*, Danice conscripta, cuius interpretatio Germanica *Altonauiae* sub prelo est, hic sileri debet.

(11) Ita Latine nominare liceat, auctore celeberrimo C. A. HEVMANNO in Disput. *de Esthera Asiae regina*, *Götting.* 1736. p. 8 doctissimum Anglum HVMPHREY PRIDEAVX, quem sic, monente HEVMANNO, Britanni ipsi Latine pronuntiant. *Pridauiani* et *Schuckfordiani* operis historiam breuiter recenset MICH. LILIENTHALIVS in *Biblisch Exegetischer Bibliothek* p. 337. et 341.

(12) In libro Anglice edito sub titulo: *The Credibility of the Gospel History,* quem I. C. WOLFIVS sic Latine interpretatus est: *Fides historiae euangelicae, siue facta, quae ex occasione in N. T. commemorantur, veterum scriptorum testimoniis confirmata, Brem.* 1733. in 8. Complectitur haec editio Bremensis duos tantum libros priores, vel tomum I. operis *Lardneriani.* Editi postea a LARDNERO sunt Tom. II. III. et IV. quorum interpretationem latinam adhuc a quodam viro docto expectamus.

Digitized by Google

§. VII.

Vlterius progressi alii in gentium ſcriptoribus vbiuis vel *Iudaismi* vel *Christianismi* vestigia animaduertere sibi visi sunt. Modum hic Christianorum scriptores primi, quos *patres* vulgo vocant, fere omnes excedunt. (13) Quod vlterius exsequi nimis longum foret, & inter eruditos notissimum est. Memor itaque Horatiani dicti (14);

In syluam non ligna feras,

vnum hoc moneo, excusandum in primis Christianorum ſcriptoribus esse hunc morem. Vt enim tum tempora erant, persuadebant sibi, in *Praeparatione Evangelica* hoc potissimum argumentum esse pertractandum, quod EVSEBIVS suo exemplo satis probauit.

§. VIII.

(13) Peti exemplum potest ex IVSTINI MARTYRIS *Apologiis pro Christianis*, quarum prima nitirdissime a IOH. ERN. GRABE, *Oxon.* 1700. in 8. mai.; altera, vna cum *Iustini Oratione ad Graecos cohortatoria*, et libro *de Monarchia*, ab *H. Hutchin* ibid. 1703, eadem in forma edita est. Quae si tibi nondum sufficiunt, adi CLEMENTEM ALEXANDRINVM, *Stromatum* Libr. II. V. et VI. Quod si adhuc superstes esset TATIANI in *Orationis contra Graecos* fine promissus liber, in quo, quaecunque a Graecorum eruditis de Christianorum religione et historia dicta, et qui, quotque eius meminerint, se demonstraturum esse pollicetur, dubio procul in eundem referendus esset censum. Reliquos omnes forte superauit scriptor, cuius memoriam PHOTIVS Cod. CLXX. seruauit. Recenset ibi *ἀντίγραφον βιβλίον, ἐν ᾧ χρήσεις Ἑλληνικαὶ καὶ Βάρβαροι τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, ἐν λόγοις ιε'* i. e. *anonymi testimoniorum de Christianorum fide e Graecorum et Barbarorum scriptis Libros XV.* Quem post *Heraclii* tempora Constantinopoli vixisse, ex ipso opere se perspexisse affirmat PHOTIVS. Probare hic auctor voluit, inter Graecos, Aegyptios, Chaldaeos, Italos omnesque gentes, sapientissimos eadem philosophatos esse, stiisque scriptis diuulgasse, quae Christiana docet religio per singula capita. Animum quidem auctoris laudat PHOTIVS, opus autem ipsum reprobat, tanquam iniurium in Christianam religionem. Neque enim gentium res sic cum Christi praeceptis conciliari posse, affirmat, vt hic anonymus labore & eruditione stupenda adgressus est.

(14) *Satyr.* Libr. I. Sat. X. v. 34.

Digitized by Google

§. VIII.

Sequuti autem ſunt praeter omnem neceſſitatem hunc Patrum morem recentiorum ſcriptorum quam plurimi. Quibus sollemne est, vbiuis inter gentes Hebraeorum veſtigia quaerere. Eminet inter omnes P. D. HVETIVS in eruditiſſimo illo *Demonstrationis Euangelicae* opere, qui nullibi non Moſen & Iſraelitas in gentium ſcriptis inuenire ſibi viſus est. (15) Cui iungendi ſunt, qui celeberrimo hoc epiſcopo eruditione nil inferiores, ne dicam ſuperiores, ſunt GERHARD. IOH. VOSSIVS in Libris IX. *de Theologia gentili & Phyſiologia Chriſtiana*, ſiue *de Origine & progreſſu Idololatriae* (16) & SAM. BOCHARTVS, cum in *Geographia Sacra*, tum in *Hierozoico*, libris ad ſtuporem vſque eruditione abundantibus. Hos triumuiros ingens ſequuta est, & ad hodiernum vſque diem ſequitur, eruditorum cohors, quam viritim recenſere ſuperuacaneum est. Conuenire hi viri docti cum S. S. interpretibus, quos *Cocceianos* nominare in more est, multis numeris videntur. Neque male, ſi nomina imitari licet, *Cocceianos* hos philologos & criticos appellabis. His vel leuiſſima rerum vel nominum conuenientia in inueniendis inter gentes

 mo-

(15) Eiuſdem farinae ſunt eius *Quaeſtiones Alnetanae*, ſiue de *Concordia rationis et fidei.* Recte monitum eſt a IOH. GOTTL. BOHNIO in Diſſert. de *Igne gentilium ſacro, in Iſraelitarum ſacra iniurio Wittenb.* 1718. p. 4. vbi demonſtrationis euangelicae Huetianae mentio facta: *Tantum abeſt, vt gratiam quandam eo opere apud quoſdam promeruerit Huetius, vt potius religionem Chriſtianam, quam tamen ſtabilitum iuerat, in ludibrium conuertiſſe, eo fuerit viſus.* Neque nimis durum eſt, quod de eiuſmodi doctorum laboribus ſequitur iudicium l. c. p. 5.: *Quantum ingenio polleat quisque fingendique facultate, saepius in re adeo abſtruſa nobis monſtrarunt.* Quam parum eiuſmodi demonſtrationibus verae religioni conſulatur, probant acerbi ſales, quibus IOH. TOLANDVS in *Originibus Iudaicis* §. 2. 3. 4. *Huetii* inſtitutum perfricuit.

(16) Editi ſunt hi libri iunctim Amſterd. 1668. in fol.

monumentis Iudaicis ſufficit. Qui quum immenſo mythologiae Graecae pelago ſe immergunt, probaturi, ex hiſtoria ſacra ſingula eſſe depromta, vix eſt, vbi ſterilioris ingenii lector pedem figere poſſit. (17) Perlectis ſingulis, Terentianum illud (18) ſuum faciet:

Feciſtis probe, incertior ſum multo, quam dudum.

§. IX.

Licet mundus iam obrutus ſit libris, ex ſcriptoribus exteris in res Iudaicas inquirentibus, & licet tot collectiones rerum vel leuiſſimi momenti in orbe erudito iam laudatores, aeſtimatores, emtores nacti ſint, tamen mirabile ſemper mihi viſum eſt, nondum eius generis ſyntagma editum eſſe, quod iam per complures annos mihi, in gentium ſcriptoribus legendis verſanti, in animo fuit. Habet id aliquid commune cum WORMII promiſſis §. III. & cum SCHVDTII tentamine §. V. Differt tamen ab vtroque haut leui diſcrimine. Iuuat id paullo adcuratius explicare. Diſperſa iacent Iudaeorum monumenta in quibusuis fere auctoribus exteris, quorum ad nos vel integra ſcripta vel reliquiae venerunt. Colligantur haec fragmenta. Sunt enim & nobis, quibus antiquorum Iudaeorum res maximi momenti ſunt §. I., pretioſa. Prodeat itaque in publicum liber, in cuius nigro inueniatur, quod hic titulus promittit: *Monumenta Iudaica, ex ſcriptoribus exteris antiquis, cum Graecis, tum Latinis, collecta & illuſtrata.* Vel, ſi ma-

(17) Qui recentiſſimum huius conditionis ſcriptorem legere cupit, adeat Gallum LAVAVRIVM cuius *Hiſtoire de la Fable, conferée avec l'Hiſtoire ſainte Amſtelod.* 1731. II. Volum. in 12. edita, ſuperiori anno *Lipſiae* in 8. Germanice prodiit.

(18) *Phorm.* II. IV. 18. 19.

Digitized by Google

mauis, hunc eligas titulum: *Monumentorum Iudaicorum scriptores exteri antiqui, cum Graeci, tum Latini, collecti & illustrati.*

§. X.

Edendi huius notae libri initum a me consilium esse, non est, quod negem. Communicaui id cum viris aliquot, in republica litteraria florentibus, priuatis litteris, qui suo calculo id comprobarunt, stimulumque mihi addidere. Neque animum prorsus amiſſo perficiendi operis. Premor autem iam nimiis difficultatibus, quas superare, mearum non est virium. Quare consultius mihi visum, infecti operis non nimiam habere curam. Neque tamen omnino mihi silendum esse putaui. Communicare potius cum orbe erudito quam modestissime his plagulis conor, quae mecum meditatus sum. Forte enim viro me longe doctiori, & copiis ad perficiendum eiusmodi opus requiſitis instructiori, cuius vitae conditio permittit, vt totum se studiis immergat, animus additur suscipiendi operis, quod, vt res meae iam se habent, meis humeris grauius esse probe sentio. (19) Placet tamen, leges, quas ipſe

(19) Optandum esset, celeberrimum illum Hamburgensium polyhistorem IOH. ALB. FABRICIVM, tot vtilissimis collectionibus optime nomen *Bibliothecarii reipublicae litterariae*, secundum HEVMANNVM in *Conspectu reipubl. litterar.* C. VII. §. 5. meritum, et nostram collectionem tentasse. Idem sit de PETRO ZORNIO, professore quondam Thorunensi celeberrimo, nostrum iudicium. Quantum enim hic in Iudaeorum ex gentium scriptoribus explicanda historia et antiquitatibus praestiterit, cum ex aliis eius scriptis, tum ex *Historia Fisci Iudaici, Altonau.* 1734. in 8. satis patet. Neque tamen nostris temporibus Germaniae desunt viri eruditissimi, huic labori pares. Nominasse sufficiat celeberrimum illum theologum & philologum Göttingensem CHRIST. AVG. HEVMANNVM, felicissimum scriptorum antiquorum interpretem, cuius nomen mihi semper summo

ipse mihi, in hoc curriculo versanti, imposui, exponere. Sic enim meum consilium optime explicabitur. Habebunt item, qui hanc collectionem sua opera non indignam censebunt, in quo suas prius explorent vires, vel & perfectiora reddant, quae nostro adhuc consilio deesse sentiunt.

§. XI.

Prima itaque sit lex: *Colligantur ex scriptoribus exteris antiquis sola monumenta Iudaica vera*, id est, in quibus rerum Iudaicarum vel verbis expressis fit mentio, vel vbi earum vestigia neminem latere possunt. Facessat itaque illorum philologorum, quos supra §. VIII. *Cocceianos* nominauimus, ſtudium, totam Graecorum mythologiam ad historiam sacram adplicantium (20), vel

mo in honore fuit: vel dignum illum doctissimo CYPRIANO successorem, IVL. CAROL. SCHLAEGERVM, cuius scripta profundam eius eruditionem philologicam testantur: vel IOH. GEORG. WALTHERVM, Professorem Weissenfelsensem inclytum, quem historiae antiquae scrutatorem diligentissimum esse, ex scriptis vidimus.

(20) Vt insigniori exemplo rem illustrem, GERHARDVS CROESIVS in aciem prodeat, a quo *Homeri Hebraei, seu Historiae Hebraeorum ab Homero Hebraicis nominibus & sententiis descriptae, in Odyssea & Iliade* Tomus I. *Dordraci* 1704. in 8. editus est. Alter tomus nondum adspexit lucem, neque vnquam, quod speramus, videbit. Putat hic diuinator, conscriptam esse in Odyssea gentis Israeliticae historiam a mundo condito, ad Mosis vsque mortem; in Iliade autem, quae post Mosis obitum inter Israelitas gesta sunt. Confer DEYLINGII *Obseruationes Sacras* T. II. Obseruat. V. §. 18. Eiusdem fere conditionis sunt CHRISTIANI WORMII in libri supra §. III. a nobis recensiti Libr. I. cap. IV. p. 105. seqq. exempla, quibus probare vult, latere in Homero multa S. S. vestigia. Iudicent alii de ZACHARIAE BOGANI *Homero Hebraizante*, quem *Oxon.* 1658. in 8. editum esse ex IOH. ALB. FABRICII *Bibliographia antiquaria* cap. II. §. 8. noui. Mihi ipsi nondum contigit, BOGANI videre librum, licet sciam virum fuisse eruditum BOGANVM, qui *Homeri* cum scriptoribus sacris com-

Digitized by Google

vel ex leuiſſima vel rerum vel nominum ſimilitudine ſibi perſuadentium, ſcriptores exteros *hebraizare* vel *iudaizare*. Quo enim quisque est foecundiori ingenio, ita longius a recto tramite aberrabit. Nos iis ſolum locis inhaeremus, in quibus certo pede insistere licet.

§. XII.

Neque tamen omittenda putamus *loca dubia*, in quibus rerum Iudaicarum vestigia apparere quadam veritatis specie viris doctis visa sunt. (21) Sed haec quoque colligantur & examinentur. Quin & ad nostram collectionem pertinent insigniora *pseudomonumenta Iudaica*, hoc est, ea exterorum testimonia, in quibus Iudaeorum mentio facta fuisse perhibetur, licet, singulis adcuratius examinatis, error facile in oculos incurrat.

comparationem, qua normam tantum loquendi, tentauit. Neque EVERHARDI FEITHII *Antiquitatum Homericarum libri IV.* quorum editione Amstelodamensi 1726. in 8. vtor, huc pertinent, sed optimae potius notae sunt. Summo autem iure insaniae insignioris philologicae exemplum nominatur IACOB. HVGO, qui *Romae* 1655 in fol *Veram historiam Romanam, seu originem Latii vel Italiae ac Romanae vrbis e tenebris longae vetustatis in lucem productam*, edidit. De quo consulendus MORHOFIVS in *Polybistore litterario* Libr. IV. Cap. III. §. 5. Vt & LVCAS CVPERVS, cuius *παράτιτλα τῆς χρονολογίας & historiae S. a Mundo condito vsque ad τὴν ἔξοδον Israelitarum, desumta ex libris Μεταμορφώσεων P. Ouidii Nasonis, Amstel.* 1721. edita sunt. De quo vide IOH. G. ALBRECHTI iudicium in Dissert. de *Paedantismo exegetico*, quae est in *Selectorum Scholasticorum* Vol. I. Fascic. II. p. 610.

(21) Exemplo nobis sit locus ex ARISTOPHANIS comoedia, quae *Acharnenses* inscribitur v. 157. & 160., editionis *Kusteri* Amstel. 1710 in fol. p. 242.: vbi *Odomantes*, Thraciae gens, circumcisi fuisse perhibentur. Quin vetus scholiastes addit: Φασὶ δὲ αὐτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, *dicunt illos Iudaeos esse.* Nata inde viris doctis suspicio de *Odomantum* origine ex Abrahami stirpe. Longe tamen alia est sententia PAVL. ERNEST. IABLONSKI in *Cogitationibus de Lacedaemoniorum cum Iudaeis cognatione*, quas videbis in *Symbolis litter. Bremensibus* Tom. I. P. III. p. 244.

Digitized by Google

rat. At, ne in nimium haec creſcant, non recentiorum ſcriptorum rationem hic potiſſimum habendam putamus. Ea tantum, quae a *Ioſepho*, quae a *Patribus* minus recte in coaceruandis gentium de Iudaeorum natione teſtimoniis allata ſunt, digna ſunt, quae colligantur & examinentur. (22)

§. XIII.

Altera lex eſto: *Colligantur haec teſtimonia vera omnia.* Mancam enim hanc collectionem eſſe nolumus. Pertinent itaque ad nos non ea ſolum loca, in quibus conuitia in Iudaeos coniiciuntur, vel quae Iudaeorum hiſtoriam, ſacra, mores exponunt; ſed & ea ſingula, in quibus ad geographiam & hiſtoriam terrae ſanctae naturalem pertinentia occurrunt. Nil intereſt, ſint magni, ſint minimi momenti (23). Fidem autem nemo

(22) Nequaquam igitur negligendus eſt poetae antiqui CHOERILI locus, in quo FL. IOSEPHVS Libr. I. *contra Apionem* Iudaeorum veſtigia ſe cernere affirmat. *Solymorum* enim *montium* mentio ibi facta eſt. Quod idem & in *Homero* fit, qui *Iliad.* VI. v. 184. & 204. *Solymos populos*, & in *Odyſs.* V. v. 284. *Solymos montes* habet. Quare IOSEPHVS, *Antiquitatum* VII. c. 3. *Homerum* teſtem Iudaeorum antiquitatis eſſe vult. Quin ipſe TACITVS *Hiſtor.* V. c. 2. huius opinionis famam accepit. *Clara*, inquit, *alii Iudaeorum initia: Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae vrbi Hieroſolymam nomen e ſuo feciſſe.* Errat autem IOSEPHVS cum in *Choerilo*, tum in *Homero*. Conf. CELLARII *Geograph. antiquam* T. II. L. III. C. IV. p. 186. & 196.

(23) Sic in *Geographiae veteris ſcriptoribus Graecis minoribus*, (per IOH. HVDSONVM iunctim *Oxoniae*, quatuor voluminibus in 8. maiori editis, quorum primum Volumen 1698. IIdum 1703, IIItium 1712, vltimum quod DIONYSII *Orbis deſcriptionem* complectitur, 1717. editum eſt) quae SCYLAX CARYANDENSIS, MARCIANVS HERACLEOTA, & DIONYSIVS, cognominatus vulgo PERIEGETES, ad Iudaeae geographiam facientia habent, ad noſtrum inſtitutum non minus pertinent, quam notiſſima illa notiorum ſcriptorum teſtimonia hiſtorica.

Digitized by Google

nemo praeſtare poteſt, collecta a ſe eſſe haec omnia, niſi libros ſingulos a capite ad calcem perlegerit. Caue tibi, ne indicum ope omnia te inueſtigaturum tibi perſuadeas. Spes haec vana te quotidie decipiet, licet praeſtantiſſimis vtaris editionibus. Crebriori experimento edoctus ſum. Ingreſſurus ſcriptorem, nondum a me perlectum, ſaepius antea indicem animi cauſſa euolui. Poſt lectionem ipſam contuli, quae meis ſchedulis notata erant. Vidi ſaepius ſumma cum admiratione, vel penitus in indice omiſſa eſſe, quae mihi tamen maximi momenti erant, vel ſub plane alio titulo poſita: quamquam omnium ſplendidiſſima mihi in manibus eſſet editio. Noſter collector lectionis adſiduae laborem minime fugiat; neque aliorum, ſed ſuis tantum fidat oculis.

§. XIV.

Quod ſi *omnia* colligenda ſunt, *omnes* quoque ſcriptores antiqui perſcrutandi ſunt, ne vno quidem penitus neglecto. Quo facto, vix quatuor vel quinque inuenies, quorum ſymbolae collectioni noſtrae deeſſe poſſint. Neque in iis tantum ſubſiſtendum, quorum integra nobis ab antiquitate tradita ſunt opera; ſed & reliquorum fragmenta, vbicunque librorum diſperſa ſunt, inueſtiganda. Quin & ii recenſendi ſunt, quos Iudaeorum res ſcribendo attigiſſe teſtimonio ex antiquitate fide digno edocemur, licet vel ne vnum ſuperſit fragmentum. Conſulendus itaque Iudaeorum ſcriptor domeſticus, FLAVIVS IOSEPHVS. Sequantur Patres cum Graeci, tum Latini, IVSTINVS MARTYR, THEOPHILVS ANTIOCHENVS, TATIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS,

TERTVLLIANVS, EVSEBIVS, ORIGENES, LACTANTIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, CYRILLVS, alii. Vlterius progrediaris & STEPHANVM BYZANTINVM, HESYCHIVM, PHOTIVM, GEORGIVM SYNCELLVM, SVIDAM in tuos vsus conuertas. Sane his auxiliaribus quasi copiis conuocatis, mirifice ſcriptorum de rebus Iudaicis exterorum & exornatur & augetur numerus. Neque, quum ſecundum ea, quae §. XII. diximus, insigniora *pseudomonumenta Iudaica* negligenda non sint, aliquot *pseudoscriptoribus rerum Iudaicarum* locus negandus est. (24)

§. XV.

(24) Sic CHOERILVS poeta secundum ea, quae paullo ante iam notauimus, inter nostros scriptores adparebit. Idem in HOMERO fiet. Licet enim nusquam in HOMERO vera & expressa rerum Iudaicarum vestigia mihi visa sint, silentio tamen hic *pseudoscriptor* in nostra collectione minime praetereundus est. Est enim a IOSEPHO, est a patribus nimis confidenter in testimonium vocatus. Vide quaeso luculentissimum exemplum in IVSTINI MARTYRIS *cohortatoria ad Graecos oratione* §. 29. p. 105. seqq. editionis supra not. (13) adlegatae. Sunt haec patrum loca vtique notanda, & liberiori, modesto tamen, iudicio examinanda. Neque alia mihi est de ipso PLATONE sententia, licet & patribus & multis scriptoribus recentioribus longe aliter videatur. Nusquam, quamuis omnia eius opera summo cum studio dudum a me perlecta sint, expressa Hebraeorum vel Iudaeorum monumenta mihi comparuerunt, licet plura eius *loca dubia*, vel *pseudomonumenta* digna vtique sint, quae nostrae collectioni inserantur. Maxima enim recte dictorum PLATONIS pars, in primis, quae ad mores pertinent, ita est comparata, vt ex solo rationis lumine oriri potuerit. Conf. IOACH. SAM. WEICKHMANNI Dissert. de *Fontibus veritatis sacrae in riuulis profanis sparsae.* *Witteb.* 1739. §. 13. Reliqua, in quibus PLATO hebraizare videtur, ex Aegyptiorum scientiis petita & tot commentis maculata sunt, vt vix veritas latens inuestigari possit. Erunt tamen de hoc *pseudoscriptore* multa monenda, quae iam breuitati studens, lubens praetereo. Vnum adhuc addere liceat. Vt nos quidem putamus, nostro collectori nequaquam vitio erit vertendum, si famosam illam *Sibyllam* ipsam ex antro prodire iubeat, & inter scriptores de rebus Iudaicis & huic *pseudoscriptrici* suum adsignet locum. Iam enim ab ipso IOSEPHO *Antiquit.* I. cap.

§. XV.

Tertia lex ſit: *Haec monumenta vera omnia ex quouis ſcriptore antiquo ſeparatim colligantur.* Hoc non collectoris tantum commoditati inſeruientes monemus, ſed, quo collectio ipſa perfectior & vtilior reddatur, potiſſimum flagitamus. Eſt vtique collectori commodiſſimum, quae in quouis ſcriptore, ad noſtrum inſtitutum pertinentia, inter legendum animaduertit, ſuis notare ſchedulis. Sed tamen ſimul eorum commodis conſulitur, quibus hanc collectionem vtilitati eſſe volumus. Vident hi vno intuitu, quantum ſcriptorum exterorum quisque de rebus Iudaicis teſtatus ſit. Quo facto, quae cuique ſint peculiaria, quae cum aliis communia, facilius examinare poteſt. Erunt quoque in quouis fere ſcriptore ſingularia quaedam notanda, quae cognoſcere lectorem iuuabit (25). Sic itaque ex STRABONE ſingula, quae ſecundum I^{mam} & II^{dam} legem ad nos pertinent,

cap. 5. in teſtimonium vocata eſt. Neque noſtris temporibus deſunt, qui pro eius auctoritate pugnent. Quod a viro philoſopho IAC. CARPOVIO in *Theologia reuelata dogmatica* factum eſſe, olim me ſumma cum admiratione meis oculis legiſſe memini.

(25) Sic in recenſendo LVCIANO cum admiratione non mediocri notari meretur, hunc ſcriptorem *qui Diis & hominibus non pepercit*, vt LACTANTIVS *Inſtit. diuinar.* Libr. I. cap. IX. recte iudicat, nullibi Iudaica vel religione vel ritibus ad riſus mouendos abuſum eſſe. Vix vno loco apud eum occurrit *Hebraeorum* nomen, in libello ſcilicet, cui titulus *Alexander*, ſeu *Pſeudomantis*. Tom. I. Operum p. 756. editionis Amſtelodamenſis 1687. in 8. Pertinent quidem ex eius *Timone*, Operum Tom. I. p. 51. locus quam maxime memorabilis de Deucalidoneo diluuio, vt & ex tractatu de *Syria Dea* haud pauca ad noſtrum inſtitutum. Nolumus enim hic litem mouere, num de *Syria Dea* libellus LVCIANI ſit: de quo ſunt, qui dubitent. Conf. LAKEMACHERI *Obſeruat. philolog.* Part. III. Obſeru. IV. p. 257. At fruſtra Hebraeorum vel Iudaeorum nomen, vno iam adlegato loco excepto, in LVCIANO quaeres, neque vllibi in eorum res iniurium inuenies. Longe alium LVCIANI morem in Chriſtianorum nomine & rebus animaduertimus, quod quibuſuis LVCIANI lectoribus notiſſimum eſt.

Digitized by Google

tinent, ex eius, quos adhuc nobis euoluere datum est, libris vno loco collecta inuenies, additis & notatu dignissimis eius fragmentis, quae numero plura in IOSEPHO dispersa sunt. Idem fiat & in reliquis scriptoribus. Neque opus est, vt moneamus, in Graecorum ſcriptis autographa esse exscribenda: quibus tamen interpretationem fidam Latinam adiungendam putamus. Hoc vnum rectius moneri potest, esse ea loca, in quibus rerum Iudaicarum monumenta ſunt, integra, licet quaedam admixta sint, ad Iudaeos minus pertinentia, excerpenda. (26) Quin plura a nostro collectore postulamus. Moneat & in iis locis, vbi Iudaeorum, rerumque Iudaicarum paucis modo verbis, vel quasi praetereundo, fit mentio, tantum, quantum ad plenam locorum sententiam satis sit. Neque negligat addere, qua de caussa, & qua occasione data vel arrepta, quodlibet de Iudaeis testimonium prolatum sit. (27)

§. XVI.

(26) Sic integer PLINII locus in *Histor. natur.* Libr. V. a Cap. XII. vsque ad finem capitis XXIII. nostrae collectioni inserendus est. Pertinent quidem non omnia ibi exposita ad Iudaeam ipsam: sed totius quoque Syriae continetur hoc loco descriptio. At qui, quae PLINIVS de Iudaea testatus est, perfecte cognoscere vult, integram hanc libri partem sub oculis habeat necesse est.

(27) Neque hoc monitum, licet minoris forte momenti videatur, negligi, maiorem in modum volumus, si per nostram collectionem plurimorum vtilitati consultum esse cupis. Oedipo saepius diuinatore opus est, quum exterorum de Iudaeis testimonia adlegantur, neque libros ipsos, ex quibus petita sunt, euoluere tibi datum est. Sufficit enim plerumque adlegantibus, pauca quaedam verba ex tota orationis serie disrupta proferre, quorum sententiam vix intelligere possis. Quod si autem, licet vel breuissimis verbis, monstretur, quae sit loci, Iudaeorum mentionem facientis, cohaerentia, aut qua de caussa scriptor ad Iudaeos prouocet, plana saepius sunt omnia, neque longiori tibi commentario opus est. Sic, vt leuiori exemplo rem illustrem, integer IVVENALIS, notatu dignissimus locus *Sat.* XIV. v. 96. usque 106, quem iam non exscribam, multum inde lucis nanciscetur, si moni-

Digitized by Google

§. XVI.

Obiici forte huic instituto criminis loco auguror: „Quod si per singulos auctores separatim ieueris, miserrime discerpta vnius corporis membra dissipabuntur. „Erit collectio, quam OVIDII (28) verbis dicas:

„*Chaos; rudis indigestaque moles,*
„*Nec quidquam, nisi pondus iners, congestaque eodem*
„*Non bene iunctarum discordia semina rerum.*„

Bona verba quaeso! Optandum hoc Chaos iam in orbe erudito creatum esse. Quo facto, longe minori labore, vt eiusdem poetae verbis (29) vtar, *hanc dispositam congeriem secare, sectamque in membra redigere,* &

Dissociata locis, concordi pace ligare

quis posset. Duplici enim modo, vt ex poetico ad humilius ſcribendi genus redeam, huic incommodo mederi possumus. Primo enim in quouis ſcriptore loca aliorum parallela per notas compendiarias, vel in margine, vel in annotationibus, adleganda in nostra collectione esse censemus. Tum rerum Iudaicarum ab exteris commemoratarum conspectum, qui indicis copiosioris loco haberi possit, in collectionis calce addi, auctores ſumus. Cuius quidem paullo inferius vberiorem iniiciemus mentionem.

§. XVII.

Sequitur quarta lex: *Hi scriptores exteri, ex quibus monumenta Iudaica vera omnia separatim collecta sunt, ordine*

 chro-

monitus antea es, „monstrare per totam satyram poetam velle, iuuenes „exemplis domesticis plerumque corrumpi: moneri itaque parentes, vt ita „se gerant, quo liberi domus paternas vitio carentes adspiciant. Quae enim „a teneris ediscantur, perpetuo inhaerere, & tales esse filios, quales a parentibus „instruantur.„ Quod iam poeta insignissimo Iudaeorum exemplo illustrat.

(28) *Metamorphos.* I. v. 7.

(29) Ibid. v. 25. & 32.

chronologico ſibi ſuccedant. Quod quidem in plerisque, quippe quorum aetas nobis, licet non ſemper ex amuſſi, adhuc cognita eſt, inoffenſo pede fieri poteſt. Incertae autem aetatis ſcriptores probabili coniectura reliquis ſuo loco inſerantur. Quod quo minus dubium reddat lectorem, auctor ego ſim, vt in cuiuslibet capitis initio (tot autem huius collectionis ſint capita, quot ſcriptores) cuiusuis ſcriptoris vita & aetas, licet quam breuiſſime, enarretur. In ſcriptoribus parum notis hoc plane neceſſarium eſt, vt ordinis ratio conſtet. In reliquis idem ornamento erit. Sunt mihi grauiſſimae rationes, quare hanc legem quartam ſanciam. Cui vt morem gerat noſter collector, quam pertinaciſſime perſuadeo. Sic enim optime cognoſci poteſt, quemadmodum rerum Iudaicarum notitia inter gentes per aetatem creuerit. Videbis, quis primus narratiunculae vel criminis Iudaeis obiecti auctor ſit (30), ex quo fonte ſequentium ſcriptorum quisque ſua hauſerit (31).

§. XVIII.

(30) Patet itaque, vt exemplo illustrationis caussa vtamur, omnium exterorum, quorum ad nos scripta vel fragmenta venerunt, primum DIODORVM SICVLVM calumniae culti a Iudaeis asini mentionem fecisse. Videmus enim ex DIODORI fragmento, a PHOTIO Cod. CCXLIV. nobis seruato (ex quo suae *Diodori* editioni LAVRENT. RHODOMANNVS, *Hanouiae* 1604. p. 901. addidit.) fictum ab hoc scriptore esse Mosen in Iudaeorum sacrario *καθήμενον ἐπ' ὄνου*, *insidentem asino*, coli. Cui mendacio postea a sequentibus scriptoribus alia addita sunt. Quo notato, inquiri facilius in caussas, quae huic calumniae ansam dederunt, potest. Quod omnium optime a THEODORO HASAEO in *Diatribe de Onolatria Lips.* 1716. in 4. edita Cap. I. §. 13, factum esse putamus.

(31) Facile itaque videbimus, Romanos scriptores quae de Iudaeis narrarunt, ex Graecis petiisse: quorum tamen fidem, in exterorum potissimum historia, sibi sublestam esse, saepius testati sunt. Neglexerunt itaque, haut sine graui crimine, in Iudaeorum, quorum tamen in ipsa Roma satis magnus viuebat numerus, res & mores adcuratius inquirere. Quod si enim dicas, noluisse hos scriptores in tam abiectae & ludibrio expositae gentis arcanis inuestigandis tempus consumere; neque tamen eos satis excusabis. Dignos enim aesti-

Digitized by Google

§. XVIII.

Hic ſcriptorum catalogus a primo illo ſcriptore incipiat, cuius ad nos λείψανα venerunt. Primum itaque locum SANCHVNIATHON Euſebianus (32) occupabit. Ordine ſequantur chronologico reliqui, ne vno quidem, qui ad noſtrum inſtitutum ſecundum ea, quae iam monuimus, pertinet, excepto. Quod ſi autem percontaris, quem huic catalogo terminum conſtituamus, haeé

aestimarunt Iudaeos, quorum originem, fata, mores, non ὡς ἐν παρόδῳ, sed data opera, exponerent, quod ex TACITO, *Hist.* V. et TROGO POMPEIO eiusque epitomatore IVSTINO Libr. XXXVI. satis patet. Quod qua fide fieri potuit a rerum Iudaicarum plane ignaris? Omnium tamen maxime miratus sum, IOSEPHI libros, eum tamen in finem Graece scriptos, vt exteri Iudaeorum res rectius cognoscerent, nusquam adlegari. Neque tamen in obscuro inter Romanos vixit IOSEPHVS, sed summo honore habitus, vt ipse in *Vita sua* in fine fuse enarrat, & HIERONYMVS in *Catalogo Scriptor. eccles.* c. 13. confirmat. Obtulit IOSEPHVS libros *de bello Iudaico* imperatoribus *Vespasiano & Tito*, & Romanorum multis, qui huic bello interfuerant, venum dedit. Conf. Libr. I. *contra Apionem.* Bibliothecae publicae hi libri traditi sunt. Conf. HIERONYMVM l. c. Altum autem est de IOSEPHO silentium in scriptoribus gentium antiquis, cum Graecis tum Romanis, qui post eum scripserunt; & in iis, qui ex mille libris, quorum auctores nominatim adlegant, testimonia collegerunt e. c. PLVTARCHO, AELIANO, PAVSANIA, DIOGENE LAERTIO, ATHENAEO &c. Quorum tamen pars rerum Iudaicarum mentionem iniecerunt. Nusquam ibi IOSEPHVM, celeberrimum illum scriptorem, adlegatum videbis. Vno tantum loco in omnibus, quos mihi euoluere datum fuit, gentium scriptoribus, IOSEPHI iniectam esse mentionem vidi, in DIONE nempe CASSIO Libr. LXVI. Est enim ibi, in editionis DIONIS *Wechelianae* 1606. p. 745. in XIPHILINI excerptis, memoratum, IOSEPHVM Iudaeum *Flauio Vespasiano* imperium praedixisse. Quod si coniecturae locus datur, in historia excidii Hierosolymitani TACITVS *Histor.* V. nimium mihi cum IOSEPHO conuenire videtur. Quare crediderim, *de bello Iudaico libros* vtique TACITO lectos fuisse.

(32) *Praeparationis Euangelicae* L. II. Cap. 9. 10. & L. X. Cap 11. Nouissime in SANCHVNIATHONIS fragmenta copiose & erudite commentati sunt auctores doctissimi Angli in *Historia mundi vniuersali*, quorum labores nobis vsui sunt editione *Baumgarteniana*, quam vide T. I. p. 178. & 284.

Digitized by Google

haec accipe. Vel in fine tertii poſt Chriſtum natum ſaeculi ſubsiſtendum putamus. Tunc enim temporis ex Chriſtianorum ſcriptis exteri Iudaeorum res rectius, quam antea, cognoſcebant; neque, quae poſtea de Iudaeis narrarunt, magni ponderis mihi eſſe videntur. Vel ſi mauis, ſaeculi poſt Chriſtum natum quarti finem eligas. Quo facto & MACROBII, IAMBLICHI, LIBANII, IVLIANI, AMMIANI MARCELLINI, SEXTI AVRELII VICTORIS, EVTROPII de rebus Iudaicis teſtimonia non erunt negligenda. Vlterius vt progrediaris, vix ego ſuaſerim.

§. XIX.

Quintam hanc legem rogamus: *Haec monumenta Iudaica non ſolum colligantur, ſed & explicentur.* Quod in quouis ſcriptore antiquo accidere ſolet, vt eius intelligentia vel per corruptas, dubias, varias lectiones reddatur difficilior; vel in rebus ipſis expoſitis, qui non ſolum legit, ſed & lecta intelligere ſtudet, ſaepiſſime haereat: id ſingulari quadam ratione in noſtris rerum Iudaicarum ſcriptoribus vſu venit: Neque enim ſolum in iis loca occurrunt vexatiſſima, in quibus de vera lectione criticorum primates inter ſe longiſſime diſſentiunt (33). Quo-

(33) Exemplo nobis ſit MARTIALIS Libr. XI. Epigramm. 95. de Iudaeorum iuramento locus. Certant critici, & adhuc ſub iudice lis eſt, num ibi legendum *anchialum*, vel *angarium*, vel *αἰγιαλὸν*, vt alias lectiones, a pauciſſimis probatas, taceam. Conf. PETRI ZORNII Diſſert. *de Scholis publicis, quas antiqui Iudaei prope a riuis & littoribus extruxiſſe perhibentur. Ploenae* 1716. Cap. 2. §. 7. & IOH. GOTTL. BOSSECK ſhediaſma in hunc *Martialis* locum *Lipſ.* 1740. in 4. editum, vt alios taceamus. Quot quaeſo manus criticas expertus eſt FLORI Libr. III. c. 5. locus: *Vidit* (Pompeius Hieroſolymae) *illud grande impiae gentis arcanum patens, ſub aurea vite coelo.* Enumeratas videbis varias vltimorum verborum lectiones in IOH. CASP. HVLDRICI Diſſert. de *Vite aurea, qua Herodes templum Hieroſol. adornauit,* quae eſt in *Satura Diſſertationum Tiguri* 1742. Tom. I. Part. II. p. 271.

Digitized by Google

Quorum ſententiae colligendae & examinandae ſunt, vt lectori liceat certa ab incertis dignoſcere. Sed & in rebus ipſis quam plurima ſollicitioris ſunt indaginis; quae niſi illuſtrentur, vix centeſimo lectori vsui eſſe poſſunt (34). Examinanda ſunt praeterea ſingula de rebus Iudaicis teſtimonia, num cum veritate conſentiant, vel falſi aliquid admixtum habeant, vt lector parum cautus moneatur, ne alicubi offendat. Quin & falſiſſimae narratiunculae ſicco pede non ſunt praetereundae, ſed in earum originem & cauſſas inquirendum eſt.

§. XX.

Hanc operam dum noſtro collectori commendamus, experientia edocti monemus, conquirendas eſſe primo loco cuiusuis ſcriptoris antiqui editiones aliquot praeſtantiſſimas. Quas inter ſe conferendo, errorum typographicorum, quorum & in nitidiſſimis editionibus ingens ſaepe eſt numerus, optime vitabuntur ſcopuli, &

 tex-

(34) Exemplum ex iis petamus, quae PAVSANIAS in *Eliacorum* L. II. p. 391. editionis Wechelianae 1613. in fol. habet: Θνητὸν δὲ εἶναι τὸ γένος τῶν Σιληνῶν εἰκάσαι τις ἂν μάλιστα ἐπὶ τοῖς τάφοις αὐτῶν. Ἐν γὰρ τῇ Ἑβραίων χώρᾳ Σιληνοῦ μνῆμα, καὶ ἄλλου Σιληνοῦ Περγαμηνοῖς ἐστι. i. e. *Mortales autem ortu Silenorum genus eſſe, facile coniicias ex eorum ſepulcris. Eſt enim in Hebraeorum regione Sileni monumentum, & alius Sileni inter Pergamenos.* Quid hic ſibi vult *Sileni cuiusdam ſepulcrum in Hebraeorum terra?* Habet quidem PAVSANIAS & in *Atticis* p. 41. & in *Laconicis* p. 211. de *Silenis* plura, quae tamen nihil nos reddunt certiores. Vult CHRIST. WORMIVS l. c. L. I. c. 4. p. 100. & L. II. c. 12. p. 123. per *Satyros* & *Silenos* intelligi *Iſraelitas*, per deſerta iter facientes, & poſtea quoque paſtoritiam agentes vitam. At haec interpretatio mei palati non eſt. ISAACVS VOSSIVS in *Obſeruat. ad Pompeium Melam* L. I. c. 5. ſuſpicatur, ortam eſſe hanc fabellam a *Moſe*, cui cornua adpingebantur. *Moſen* enim cum *Sileno* eundem eſſe putat. Ita & HVETIVS in *Demonſtrat. Euangelica* Propos. IV. c. IX. §. 5. Neque hanc explicationem magni facio. Meliorem tamen nondum inuenire potui. Vidi quoque pleroſque ſcriptores, qui de *Silenis* agunt, hunc PAVSANIAE locum plane neglexiſſe. Sunt ſane in noſtra collectione loca eiusmodi quam plurima, quae, licet de vera lectione ſatis conſtet, tamen explicatu ſunt difficillima.

Digitized by Google

commentario excerpta inſigniora illuſtret, vbiuis ſcriptoribus adlegatis, quos in ſuam conuertit vtilitatem.

§. XXI.

Vnum tamen hoc vehementer volumus, ſcilicet, vt breuitati ſemper noſter collector in his adnotationibus ſtudeat. Quod quo fieri poſſit, moneat in quouis loco ea tantum, quae ad huius vnius loci intelligentiam faciunt, neque ſe in alia omnia diffundat. Reliqua quae ad generalioris argumenti pertractationem, vel locorum parallelorum inter ſe comparationem pertinent, ad noſtrae collectionis calcem reſeruanda ſunt. Conficiatur enim, ſi nobis conſilia dare licet, ex his monumentis Iudaicis, ſingulatim ex quouis auctore antiquo excerptis, *rerum Iudaicarum, inter gentes memoratarum, conſpectus vel ſciagraphia*, paullo vberior. Quod quidem tunc demum optime fieri poteſt, quum ſingula teſtimonia in ipſa collectione iam ſingulatim illuſtrata ſunt, vt habeamus, quo lectorem ſemper ablegare poſſimus. Moneantur in hoc conſpectu, quae generaliora ſunt, & quae iam antea variis locis diſperſa leguntur, hic amico & arctiſſimo inter ſe vinculo connectantur. Quod quidem commodiſſime fieri poſſe autumamus, ſub quatuor capitibus cuncta diſtribuendo. Primo itaque capite, quae *ad Iudaeae geogra-*

eius. Moneatur ibi, ſi lectoris vtilitati & commodis inſeruire vis, quis fuerit *Amphiaraus*, quis *Throphonius*, quis *Zamolxis*, quis *Decaeneus*, qui reliqui, ibi nominati. Sunt a me in legendis antiquis iam multa, quae hic notari merentur, collecta. De vno tamen *Achaicaro* nihil mihi adhuc praeter ea, quae STRABO hoc loco habet, conſtat. Licet mihi ſemper in legendis antiquitatis monumentis in mente fuerit, nusquam tamen eius veſtigium inueni. Neque philologorum vnus, quorum libros conſului, dignum putarunt hunc *Achaicarum*, quem tamen cum ipſo *Moſe* STRABO comparat, de quo, num plura ipſis conſtent, doceant. Videant me longe doctiores, quid percontanti, quis fuerit *Achaicarus*, reſpondeant. Idem accidit in *Zathrauſte*, *Arimaſporum* legiſlatore, quem DIODORVS SICVLVS L. I. p. 84 editionis Wechelianae 1604. in fol. cum *Moſe* comparat.

geographiam & historiam naturalem pertinent, ſecundo, quae *de Iudaeorum historia & republica*, tertio, quae *de ſacris publicis & religione*, quarto demum quae *de vita huius populi domeſtica*, exteri teſtati ſunt, exponantur. Quo ordine electo, ſingula teſtimonia facile ſuum inuenient locum.

§. XXII.

Quin & (placet enim cuncta exponere, quae mihi in mentem venere) haut incommodum nobis videtur, diſſertationum, vel ſchediaſmatum, in quibus vel pars aliqua insignior rerum Iudaicarum, ab exteris memoratarum, omnium adcuratiſſime examinata, vel locus, ad nos pertinens celebrior, dedita opera explicatus eſt, delectum haberi. (38) Quo facto, quae optimae notae ſunt, vel noſtrae collectioni adnecti, vel, ne in nimium ea excreſcat, ſeparatim vno volumine typis mandari poſſunt. (39) Sunt huius generis ſchediaſmata numero

(38) Huiusmodi collectionis aliquod initium a celeberrimo IVL. CAROLO SCHLAEGERO iam factum eſt, in *Fasciculo diſſertationum rariorum de antiquitatibus ſacris & profanis*, *Helmaeſt.* 1742. in 4. cuius quatuor priores diſſertationes quam maxime ad noſtrum inſtitutum pertinent. Ipſam SCHLAEGERI praefationem ſummo pretio habemus. Inquirit ea in praecipuas errorum a ſcriptoribus profanis circa populi Iudaici hiſtoriam, leges & conſuetudines admiſſorum cauſſas. Explicantur quoque in ea complura antiquorum de Iudaeis teſtimonia, SCHLAEGERI more, id eſt eruditiſſime, & ſummo cum iudicio.

(39) Nominabimus exempli inſtar THEODORI HASAEI *de Onolatria, ſiue calumnia cultus aſinini, a gentilibus olim Iudaeis & Chriſtianis impacta, diatriben* Erf. & Lips. 1716. in 4. editam. Quam qui legit, non eſt, quod, quae ab aliis de hoc argumenta ſcripta ſunt, multum curet. Exhauſtum enim ab HASAEO ſumma cum diligentia & maximo eruditionis adparatu, hoc monumentorum Iudaicorum caput videbis. Cui aliud optimae notae exemplum addamus, IOH. IACOB. BOSII Epiſtolam *de Carmelo monte & Deo, in Taciti & Suetonii locos*, *Lipſ.* 1740. in 4. conſcriptam, in qua ſic in hos locos inquiritur, vt habeat emunctae naris lector, quae ſufficiant. Poteram longe plura exempla adferre. Eſt enim a me iam non contemnenda eiuſmodi diſſertationum pars vndique conquiſita. At tempori & ſpatio parcendum.

Digitized by Google

quam plurima, quorum catalogum, a me dudum incoeptum, nostrae plagulae iam non capiunt. Quorum quidem pars, quod leuioris molis libellis accidere ſolet, haut ſine ſumma cura inueſtigari poteſt. Cauendum tamen in his ſummopere, ne nubem pro Iunone habeamus. Iuueniles enim ſaepe videbis labores, ſplendido titulo inſignitos, ex quibus parum vtilitatis ad te redundabit. Nobis ii iam non curae ſunt, qui ex riuulis hauriunt. Eorum ſolum rationem habemus, quibus datum eſt, ex fontibus ipſis petere. (40)

§. XXIII.

Hactenus noſtrum inſtitutum ſatis explicauimus, cuius leges, a nobis breviter expoſitas, eruditorum examini ſubmittimus. Vix ſuſpicamur, inſignem eiuſmodi collectionis vtilitatem a quoquam negatum iri. Vino enim vendibili ſuſpenſa hedera opus non eſt. Quare noluimus in eius commendatione longiores eſſe. Neque tamen omnino ſilentio praetereundum eſſe hoc argumentum cenſemus. Sunt enim & inter eruditos aliae aliorum ſententiae, neque eae ſemper cum aequitate conuenientes. Quodſi igitur cuiquam, hactenus monitis perlectis, in animum venerit, interrogare: Quaenam erit huius collectionis, tot verbis expoſitae, vtilitas? haec accipiat velim. Idem huius laboris erit fructus, qui ex tot aliis collectionibus, quas in pretio habet reſpublica litteraria, redundauit. Quae diſperſa ſunt per innumeros libros, via quaſi compendiaria lectoris commodis exhibentur.

(40) Habemus adhuc plura, quae moneri poterant, ad noſtrae collectionis & ornamentum & perfectionem pertinentia. Sic optamus, exterorum nummos, in quibus rerum Iudaicarum fit mentio, ſingulos recenſeri & explicari, quae ex inſcriptionum antiquarum collectionibus ad Iudaeos pertinent, colligi; quin & ex ipſo *Iuris Romani* corpore monumenta Iudaica erui. Verum, ne nimium poſtulando nauſeam creemus, haec miſſa facimus.

tur. Quod quidem in rebus ad litteraturam pertinentibus perquam neceſſarium eſt. Licet enim in iis, quae ratiocinationis & iudicii potiſſimum ſunt, ſcientiis, haut multum variorum librorum euolutionem, vel ſententiarum enumerationem rectiſſime curemus, ipſorum argumentorum euidentia & pondere contenti: longe tamen aliter in iis, quae litteraturae ſunt, ſe res habet. Summa hic diligentia & librorum copia vtramque facit paginam. Neque tamen vitae breuitas nobis permittit ſingulos libros perquirere; neque, quae ſemel legimus, fida ſemper tenemus memoria; neque cuiusuis eſt, copioſiſſimam, & omnibus numeris perfectam ſibi parare bibliothecam. Conſulendum itaque tribus his incommodis in republica litteraria per collectiones. Diuidendae ſunt inter eruditos hae partes, quo totius reipublicae litterariae commoda promoueantur. Belliſſimum ſane foret, ſi eorum, qui in ſtudiis vitam conſumunt, quisque, a primo aetatis & ſtudiorum flore, litteraturae partem, nondum ſatis excultam, ſibi eligeret, cui per totam inhaereret vitam. Sic enim per multorum annorum lectionem & lituram multo perfectiora redderentur, quae a ſubitaneis ſcriptoribus vel collectoribus mutila edantur neceſſe eſt.

§. XXIV.

At, inquis, maneat ſua laus collectionibus, res veras, certas, non vbiuis obuias, quin & magni momenti, complectentibus. Quid autem fiet de tuis monumentis Iudaicis, vel plane falſis & fabuloſis, vel dubiis & incertis, vel cuilibet notis, vel minoris momenti & ponderis? Liceat mihi haec crimina aliorum verbis diluere. Noſtra itaque fiant celeberrimi in orbe erudito collectoris verba (41): *Ad illas*, inquit, *fabulas reiiciendas atque explodendas*

(41) Verbis vtor I. A. FABRICII, in *Codicis pſeudepigraphi V. T.* praefatione, qui laborem, in pſeudepigraphis colligendis a ſe impenſum, ſic excuſat. Vt, quod

Digitized by Google

das nihil fieri poteſt adcommodatius, quam vt iunctim ita inſpiciendae exhibeantur, & contemtui omnium exponantur. Addamus tamen, quae paullo poſt ſequuntur: *Sunt etiam nonnulla in his, ſub falſis licet iactata nominibus, veri tamen ſtricturas quaſdam ſeruantia: ſicut vetus dictum eſt, non omnia fingere Cretes: illa vero dignoſcere vt labor, ita non minor voluptas aut vtilitas.* Respondebimus item MACROBII (42) verbis: *In quibus, ſi neque ea, quae iam tibi nota ſunt, aſperneris, nec, quae ignota ſunt, vites, inuenies plurima, quae ſit aut voluptati legere, aut cultui legiſſe, aut vſui meminiſſe.* Vel PHOTII (43) in morem ſic loquamur: Χρησιμεύσει δέ σοι δηλονότι τὰ ἐκδιδόμενα εἴς τε κεφαλαιώδη μνήμην καὶ ἀνάμνησιν τῶν ἔτι κατὰ σεαυτὸν ἀναλεξάμενος ἐπῆλθες, καὶ εἰς ἕτοιμον εὕρεσιν τῶν ἐν αὐτοῖς ἐπιζητουμένων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ εἰς εὐχερεστέραν ἀνάληψιν τῶν οὔπω τὴν ἀνάγνωσιν τῆς σῆς συνέσεως ὑπελθόντων. i. e. *Vtilia ſane tibi haec edita futura ſunt, quum ſummatim eorum tibi memoriam refricent, quae tute per te legendo percurriſti: tum vt citius reperias, ſi quid in iis quaeras: quin etiam vt facilius adſequaris ea, quae forte nondum intelligentia perceperis.*

§. XXV.

Quin plura nobis dari poſtulemus. Sunt exterorum de Iudaeis teſtimonia, ſecundum ſuperius monita, Chriſtianis ſemper haut mediocris ponderis. Quorum adcuratior notitia cuiuis, res verſanti theologicas, maximae vtilitatis eſt. Sunt enim inter eruditos argumenta, *humanam* gignentia *fidem*, nequaquam negligenda. Quae igitur in

quod res eſt, fateamur, exſtimulauit nos huius polyhiſtoris exemplum quam maxime vt noſtrae collectioni manus iniiceremus. Mirati ſaepe ſumus inſignem huius viri optimi patientiam in recenſendis explicandis tot anilibus fabulis, quibus cum hic *Codex pſeudepigraphus V. T.*, tum quem iam antea ediderat, *Codex apocryphus N. T.* ſcatet. Conſentiunt tamen nobiſcum viri doctiſſimi, qui ſummis laudibus hos codices digniſſimos praedicant, & maximas celeberrimo collectori de vtiliſſimo hoc labore agunt gratias.

(42) In *Saturnaliorum conuiuiorum ad Euſtathium filium* prooemio.

(43) In *Bibliothecae ſuae* ad *Taraſium* praefatione.

Digitized by Google

in historia ſacra de Iudaeis narrantur, exterorum testimoniis mirum in modum confirmari, interdum quoque illustrari possunt. Quod vt faciliori negotio fiat, ex ſcriptoribus exteris, quorum copia non cuiuis datur, vel in quibus perlegendis multum laboris & temporis consumendum est, haec monumenta colligantur, & cunctorum exponantur vtilitati. Occurrendum quoque eorum dubitationibus & ſcrupulis, qui in legendis gentium ſcriptis, quorum honor & auctoritas in orbe litterato ſaepe ad ſuperstitionem vel idololatriam litterariam vsque extollitur, eam rerum Iudaicarum faciem animaduertere ſibi videntur, quae a ſacris ſcriptis multum abhorreat. Quin & ii refellendi ſunt, qui gentium ſcriptis nefario ausu ad infringendam & labefactandam diuini codicis auctoritatem abutuntur (44). Quibus vt os obtundatur, exponantur quam sincerrime, quae de Iudaeorum religione, fatis, moribus, regione gentes testatae sunt, & quae cum veritate minus consentiunt, dedita opera refutentur.

F §. XXVI.

(44) Exemplo nobis sit famosus ille IOH. TOLANDVS, cuius *Origines Iudaicae, siue Strabonis de Moyse & religione Iudaica historia breuiter illustrata*, (quarum editione *Hagae Comit.* 1709. vsus sum, in qua adiunctae sunt eius *Adeisidaemoni*, libro, cuius maxima pars, si verba ipsa, non animum auctoris consideramus, optimae notae est) hunc in finem conscriptae sunt, vt STRABONIS de Iudaeis testimonio *Mosis* auctoritas eleuetur. Miratur TOLANDVS, nimius STRABONIS admirator, l. c. §. 25. plerosque omnes, qui de rebus Iudaicis egerunt, vel pentateuchum illustrarunt, locum istum STRABONIS silentio, quasi data opera, praeteriisse. Optime refutatur hic nugator, quum STRABONIS de Iudaeis testimonia coniunctim exhibentur, paullo adcuratius examinantur, & alius generis notis illustrantur, quam quas TOLANDVS consarcinauit. Aliud nobis exemplum praebeat *Tolando* adhuc in delirando multum superior THOMAS MORGANVS, qui MANETHONIS aliquot fragmentis, per IOSEPHVM, EVSEBIVM & GEORGIVM SYNCELLVM seruatis, temerario conatu abusus est, vt in Israelitarum historiam iniurius esse posset. Castigatur pro meritis a S. I. BAVMGARTENIO in *Examine variarum sententiarum de posterorum Abrahami in Aegypto regno* §. 2-8. quae doctissima dissertatio & Germanice legitur in *Historiae mundi uniuersalis* T. II. additamentis.

Digitized by Google

§. XXVI.

Quod in rebus vtiliſsimis plerumque accidere ſolet, vt variis premantur, & asperiores reddantur difficultatibus, id quoque in noſtris monumentis Iudaicis locum habere, experientia, optima magiſtra, edocti ſumus. Triplicis enim generis ſunt, quibuscum noſtro collectori pugnandum est, difficultates. Primo loco ingens librorum copia quotidie praesto sit, necesse est. Qua destitutus ſemper haerebit. Non enim in ratiociniis versatur, in quibus iudicii acies & continua meditatio per omnes tandem nebulas perrumpere potest: ſed in testimoniis, in quibus, ni omnia tibi adsint documenta, ne latum quidem vnguem procedes. Totum itaque antiquitatis thesaurum in ſua bibliotheca reconditum habeat noster collector: vel ſaltem viuat in loco, vbi, quae ipsi desunt, inuestigari posſunt. Quorum primum hominis priuati non est, nisi diuitiis sit abundantissimus. Restat itaque alterum. Neque tamen hic ubiuis tantum proficies, quantum ſuſpicaris. Deficiunt enim in plerisque bibliothecis, licet librorum numero insignibus, primi eruditionis humanae fontes. Cuius periculum facturus, quaere ſcriptores antiquos Graecos. Miraberis eos vel plane neglectos (45), vel paucissimos, eosque non optimi habitus, adparere. Neque his fontibus tandem inuentis, librorum sitiens noster collector contentus est; ſed & reliqua omnia, quae ad apparatum criticum & philologicum pertinent, in auxilium vocare ſtudet. Quot quaeso libris hic opus est!

§. XXVII.

(45) *Oritur ex hoc Graecorum scriptorum neglectu insignis vel praestantissimorum raritas. Sic miratus sum, vltimam* DIODORI SICVLI *editionem Wechelianam esse Hanouiae per* LAVR. RHODOMANNVM 1604 *in fol. Centum itaque & quadraginta annis haec suffecit. Tandem, quum rarissime iam per multos annos* DIODORVS *adpareret, anno demum superiori* PETRVS WESSELINGIVS *splendidissimam eius curauit editionem, Amstelodami* II. *Tomis in fol. mai. Cuius tamen ingens pretium, (*XXV. *enim thalerorum inter nos venditur) efficiet, vt paucissimarum bibliothecarum ciuitate donetur.*

Digitized by Google

§. XXVII.

Sunt deinde infiniti prius libri legendi & excerpendi, quam nostra collectio in lucem edi mereatur (46). Quod non ſolum de ſcriptoribus ipsis antiquis cum Graecis tum Latinis, ſecundum ſupra §. XIV. monita, valet; ſed & de reliquis omnibus libris, ſecundum §. XX. ad nostrorum monumentorum explicationem facientibus. Non itaque nisi multorum annorum hicce labor est. Quare nemini auctor sim, vt subito hoc curriculum ingrediatur. Eiusmodi enim opus, quod non

Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Praesectum decies non castigauit ad vnguem, (47)

parum curamus. Quod si magis tibi placet meditari, & ratiociniorum ope veritatem inuestigare; vel &, si *vitam*, quam vocant *practicam*, quotidianos tuos labores & curas sibi vindicare sentis, huic labori aptus natus non es. Est enim nostro collectori legendum, si inuestigare, ſunt inuenta exscribenda, si colligere, sunt notata explicanda, si prodesse vult. Quod quidem nisi otium tibi sit litterarium, licet & reliqua tibi faueant, fieri nequit.

§. XXVIII.

Tertio denique loco fatendum nobis est, in nostrorum monumentorum Iudaicorum explicatione nimis multos, eosque fere inextricabiles occurrere nodos. Quos transilire, viri probi, & aliorum vtilitatis studiosi non est: secare, non ſoluere, impatientis, ne dicam arrogantis hominis nobis esse videtur. Optimum quidem criticum esse putamus,

(46) Subinde mihi, postquam per complures annos mordicus librorum, ad meum institutum pertinentium, lectioni inhaesi, in memoriam recurrunt SENECAE verba: quae licet SENECAE, id est declamatorio more, prolata sunt, tamen veritatis haut parum complectuntur. *Studiorum*, inquit in libro de *Tranquillitate animi* c. IX., *quoque, quae liberalissima impensa est, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua indices perlegit! Onerat discentem turba, non instruit: multoque satius est, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos.*

(47) *Horatius de arte poetica* v. 293.

Digitized by Google

tamus, qui timidiusculus est. Hunc enim vel minutiſſima curare videmus, neque prius in lucem prodire, quam ſingula expedita ſunt. At ſi tibi eiusmodi indoles est, mirifice te in nostra collectione retardari ſenties. Haerebis enim quotidie, neque tibi ipsi ſufficies. Lentiſſimo itaque progredieris pede, neque examinandi & rimandi inuenies finem. Vereberis quoque fumum lectoribus vendere, vel aliorum ſcrinia expilare, vel ſola aliorum auctoritate niti. Tuis ſemper prius perſpicere conaberis, quae aliorum exponas oculis.

§. XXIX.

Quod ſi hactenus exposita, vna acie collocata, contemplor, animus me fere deficit, quae olim de nostrorum monumentorum Iudaicorum collectione ipse meditatus ſum, perficiendi. Sunt mihi quidem non contemnendae copiae, quod ab omni iactantia remotiſſimus fateri posſum, quibuscum instructus, quem natura audaciorem fecit, in aciem prodire non verebitur. At mihi per leges, a me ipso ſupra ſancitas, non licet. Sufficiat mihi, conſilium ipſum, quod latiſſime patere nemo negabit, per has plagulas cum orbe erudito communicare. Quod vt adcuratius examinetur, ſummopere velim. Nihil mihi accidere poterit optatius, quam vt meis qualibuscunque monitis antiquitatis eruditae & theologicae amator ad ingrediendum hoc curriculum excitetur. Quod vt ſtrenue & faustis ominibus perficiatur, maiorem in modum opto. Mihi, qui meo me modulo & pede metior, delectationi erit, quousque per vitae genus in museolo licet, in hoc inſtituto progredi. Publicam tamen, quod olim in animo habebam, vtilitatem promouendi, mihi iam facultas erepta est. Quibus denique alia studia placent, AELIANI verborum (48) memores ſint: Οὐ πάντα πᾶσι καλά, οὐδὲ ἄξια δοκεῖ σπουδᾶσαι πᾶσι πάντα.

(48) De *animalium natura*, in prooemio.

Digitized by Google

Digitized by Google

HW 502C 6